

differunt. A Christo equidem Ecclesiæ Ministerio adiunctio & consummatio corporis sui, quod est Ecclesia, commissa est, modus tamen, quo fieri illud debeat, in libertate Ministri est relictus. Cumque is modus, qui scripto fit, & accuratior plerumque sit, quippe ex solidiore meditatione proveniens, & in plures sese facilius diffundat & denique diutius perennet, quam, quem loquacitatem repræsentat, cum maxime decere Academiæ doctorem, qui plurimis docendis destinatus est, ex se intellegitur. Ex quibus sole meridiano clarius est, quanquam sacrarum literarum lectio omnibus scriptis Theologicis summo jure præferenda sit, non tamen ita commendari debere aut posse, ut ideo illa ex manibus studiosorum plane executiantur, sed è contra ita laudandam esse S. literarum lectionem, ut cum ea conjungi debere, si fructuosa esse debeat & felices successus habere, Theologorum scriptorum, utpote expositionum S. Scripturæ, Compendiorum & Systematum Theologiarum, Disputationum cum adversariis, certaminum Ecclesiæ aliorumque id genus lectionem, nullatenus sit inficiandum.

§. IX. Deinde perpendendum nobis est, quicquid nobilitatis & excellentiarum S. Scripturarum competit, id vim suam non nisi intra certum ordinem exerere. Nec enim vel vi quadam absoluta Scripturarum verba significant, sed necesse est, ut legendi facultatem habeas, si intelligere verba velis; vel eadem illa vi intellectum ad assentendum & voluntatem ad amplectendum commovent, sed necessum est, ut ex verbis intellectis rem ipsam scil. doctrinam, per verba notatam, mente recondas, mysteriorum majestatem admireris, sanctitatem, à te requisitam, quasi degustes, id est, rerum revelatarum veritatem, bonita-